Quelle: https://manuscripta.at/?ID=388
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

qui sanctis non sancte utuntur. Ex his erunt qui dicturi sunt, in nomi-
ne tuo prophetauimus. Non illis dicetur mentimini, sed dicetur non noui uos, recedite a
me qui operamini iniquitatem. Quia si habeam omnem prophetiam, caritatem autem non ha-
beam, nichil sum. Prophetauit et saul, sed operabatur iniquitatem. Quis autem operatur in-
iquitatem, nisi qui non habuit karitatem? Plenitudo enim legis, karitas. Ergo prote-
git in aquis superiora eius. Quid dixit? In omnibus scripturis supereminentissimam
uiam, supereminentissimum locum caritas optinet. Non ad eam aspirant nisi boni.
Hanc nobiscum non communicant mali. Possunt communicare baptismum, possunt
communicare cetera sacramenta, possunt communicare orationem, possunt commu-
nicare istos parietes et istam coniunctionem; karitatem nobiscum non communicant.
Ipse est enim fons proprius bonorum, proprius sanctorum, de quo dicitur, nemo alienus communicet tibi.
Qui sunt alieni? Omnes qui audient, non noui uos. Si enim non agnoscuntur, utique ali-
eni sunt, quibus dicitur non noui uos. Supereminens ergo uia caritatis tenet eos, qui perti-
nent ad regna celorum. Ergo preceptum karitatis super celos, super omnes libros.
Ei enim subduntur omnes libri, ei militant omnes lingue sanctorum, ei omnis motus
dispensatorum dei et animi et corporis. Supereminens ergo est uia, et merito protegit
in aquis superiora celi, quia nichil inuenis eminentius caritate in diuinis libris. Sed
adhuc euidentius audi, quod aqua sit. Diximus enim quod caritas dei diffusa est in cor-
dibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Diximus etiam in plateis discurrant aque
tue, et alia in aliquibus. Non ibi expresse dictum est, utrum karitatem intellegere debeam.
Quid si alius aliud aliquid intelligat? Tantum memento quod ait apostolus, caritas dei
diffusa est in cordibus nostris. Unde? Per spiritum sanctum qui datus est nobis. Audi iam do-
minum magistrum apostolorum. Si quis sitit, ueniat et bibat. Dicat adhuc. Qui cre-
dit in me, flumina aque uiue fluent de uentre eius. Quid est hoc? Exponat
euangelista. Hoc autem dicebat inquit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.
Spiritus enim nondum erat datus, quia ihesus nondum erat glorificatus. Ergo fratres si propterea spiritus nondum
erat datus, quia ihesus nondum erat glorificatus, glorificato ihesu et ascendente in celos, mis-
sus est spiritus sanctus, et karitate impleti sunt apostoli, diffusa est in cordibus eorum per spiritum sanctum qui
datus est eis, quia superiora celi aquis protegunt. Et bene, quia dominus ascendit in celos ut su-
perior esset celis, et inde mitteret karitatem. Non enim sic deus protegit, ut quasi sus-
tineretur ab eo quem protegit. Subleuat quem protegit, non onerat. Ita ergo celum aquis pro-
tegit, ut magis illud spiritu diuino subleuet. Quod subleuat sursum est, quod subleua-
tur infra est. Illud suspendit, hoc pendet. Si ergo illud suspendit, hoc pendet,
audi quia hoc celum scripturarum ex karitate pendet. Duo sunt nempe illa notissima
precepta dilectionis. In his duobus preceptis, tota lex pendet et prophete. Qui
protegit in aquis superiora eius. Qui ponit nubes ascensum eius. Accepimus et hoc be-